



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

XI. De Prudentia Curati, Ac bonorum operum exemplo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

CAPVT XI.  
DE PRVDENTIA CVRATI.

SVMMARIVM.

1. Prudentia cur necessaria.
2. Curatus sit prae datus bona conscientia.
3. Conscientiam bonam habeat apud homines.
4. Curatus sit humilis.
5. Curatus de omnibus bene loquatur.
6. Qualis vestitus in Curato.
7. Sit Curatus bonis moribus.
8. Socios bonos habeat Curatus.
9. Quarat Curatus amari à suis.
10. Qua faciant amari.
11. Instructus sit Curatus de ingenijs plebis.
12. Curatus sit de conuersatione amabilis.
13. Dissimulet aliquando peccata,
14. Lenitati maxime studeat.
15. Sit Curatus mansuetus.
16. Regula pro mansuetudine.
17. Sit ingeniosus Curatus.
18. Multus sit in oratione.
19. Nec festinet, nec sit morosus.
20. Remedium pro deliberatione in arduis.

1. **C**VM officium Curati sit vt actiones omnes ad finem optimum dirigat, quod etiam requirit ab alijs Aristot. 6. Ethic. cap. 12. & 13. consequens erit, curato summè necessariam esse prudentiam. Quippe hæc verè lucerna virtutum vocatur, & est. In hoc ergo Curatus incumbat, & semper credat, etiam si multum profecerit, multum sibi ad perfectionem

deesse, licet autem prudentia omnibus virtutibus necessaria sit, tamen prætermittis alijs, dicendum breuiter de aliquibus, quæ vt ita dicam, continuo sint Curato ad manus.

2. Inuigilet ergo in habenda, & retinenda conscientia bona apud Deum, quia cum sit in perpetua administratione Sacramentorum, & Sacramenta non possint sine peccato tractari à conscientia maculata, prudenter ager, si conscientiam semper bonam, & omnis peccati mortalis nesciam habuerit. Ac quamuis in administratione Sacramentorum possit actum contritionis elicere, quo purgetur conscientia, si forte mortalis noxæ fuerit foeditate maculata, tamen quia talis actus, vt plurimum, uõ transcendit naturam attritionis, quæ licet à noua culpa excuset eum qui credit esse contritum, tamen tunc Sacramenta administrans priuatur eo fructu, quo stante vera contritione frueretur. Igitur vt rem suam prudenter agat, sol non occidat super eum non confessum, nec (si fieri potest) inconfessus Sacramenta administret: quia, accedente absolutione de attrito euadet contritus, & plenam sui laboris mercedem assequetur.

Sed in hoc sit prudens, ne videlicet intempestiua reconciliatio causet in animo videntium sinistram de se opinionem; Aut, ne dum nimis anxie quærit reconciliari, alius Sacramento indigens, aut antequam eum suscipiat, moriatur, aut lassatus expectando discedat.

3. Conscientiam etiam bonam habeat apud homines. Ideo prudenter caueat, non solum à ualo nomine, sed ab omni occasione & specie

quali

mali nominis; Quod optimè cedit abstinendo ab omni malo euidenter tali, & ab omni re quæ præ se ferat malum. Sit in exemplum Apostolus, qui cum per Corinthios eligeretur. *Corinth.* p. c. 16. vt obligationes Hierosolymam perferret, non aliter suscepit onus, quam adhibitis socijs tanquam testibus integritatis suæ. Ideo scriptum est. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Quod si contingat Curatum infamari: expedit, vt patienter ferat, nisi cum in alterius præiudicium vergit infamia: tunc enim tenetur omnino suam famam tueri, verbi gratia: Curatus qui accipit à pijs distribuenda pauperibus, si ab improbo latrocinij infametur, pauperes conqueruntur, & pij arcentur à pijs donarij iterum largiendis, tunc igitur Curatus omnino se iustificet. S. Tho. 22. q. 73. art. 4. p. & Clarus *quæst.* 72. art. 3. Sotus *de iust.* li. 5. q. 10. art. 3. & omnes. Nec curet si suam defendendo famam, infamator propriam amittat: nam sibi imputet, quod tali discrimini se obiecerit. Porro hanc iustificationem non faciat maiorem, quam exoptulet necessitas, quia ita & modestiæ, & iustitiæ suus relinquitur locus. Et si prudenter indicauerit faciendam exaltari, quod vix credo licere, nisi raro, & pro magna causa non nominet infamatorem, quia est remedium nimis violentum.

5. Necessaria porro est Curato prudens humilitas animi, corporis, operationis, & locutionis. Ideo bene illi credo, si de omnibus bene senserit, & locutus fuerit.

6. Quia etiam si fortè aliquid contradictio-

nis cum aliquo habuerit, bene de illo loquatur, quia ira similitas extinguitur: At si cum veritate bene loqui non potest, excuset factum. Omnem de alio clam sinistre loquentem, de rebus non pertinentibus ad curam, habeat ac exploratorem, qui Curati cupiat intentionem detectam alteri, de quo obloquitur, referre, & ita aduertet, quæ proferre voluerit. Præcipue vero Curatus sit humilis cum suo Episcopo, & alacriter eidem obediat, etiam si iussa non quadrant illius sensui, quantumcunque prudens sibi videatur; nam particulari gratia Spiritus sanctus influit in superiora ad inferiorum auxilium, dum enim Curatus Episcopo obtemperat, & populus Curato in bono regimine adaptatur.

6. In Vestitu conformet se loco, non vilioribus, ne sui male accipiant, tanquam eos dedecorans, nec prætiosioribus ornet se, ne inuidiam pareat, maxime si fuerit Curatus ruralis, habent ibi alios clericos: multo magis, si ipse in loco aduena fuerit: ista enim inuidiam adducunt.

In moribus prudenter studeat, ne sit agrestis, sed placidæ, & laudabilis conuersationis. Pro quo nota, quod licet mores incompositi ex suo genere, & ut plurimum, non sint peccata graua, tamen reddunt hominem valde exosum. In sessionibus, accedendo ad alios, vel alios excipiendo, obseruet modum loci.

7. Quædam tamen inutilia (non dicam humilitatis, sed nugacitatis) puta, (Principe mio schiauo di V.S.) & similia, humiliter, & prudentius commutabit dicendo, verba quidem humana, sed Sacerdote digna, & matura, quæ sapiant

giant simplicitatem, & decorem. Et hæc omnia intelligo voce, & scripto. Conformet se alijs timentibus Deum in omnibus: & si fuerit in loco, vbi multum sit relaxata disciplina Ecclesiastica, ipse ab omni peccato absteineat, etiamsi sit ludibrio alijs: caueat vero ab alijs, quæ licet peccata non sint, tamē peccati speciem præ se ferunt, in reliquis adapret se alijs. Ad hoc caput reducitur: Necessarium Curato superare omnes animi perturbationes, & malas suas pronitates, nihil enim boni permittent ista efficere. vt clare patet in Bibliotheca selecta, lib. 4. c. 9.

8. Prudens sit etiam Curatus in Societate eligenda. Bonos eligat, ita vt non expellat malos. Sed & bonis prudenter se exhibeat, ne suos defectus agnoscant. Conuersatione laicorum, etiam bonorum parce vtatur, & semper circumspectè, quia nimia familiaritas contemptum parit. Nullum ad conuersationem admittat, nisi bona informatione prius habita, de qualitate personæ. Meminerit versari in continuo sindicatu, ideo sic viuat, ne contemnetur, tamen ne sit tam solitarius, vt videatur agrestis, nec se tam dedat cōuersationi vt in dissolutionem defluat. Ideo non fugiat honestas recreationes, nec inuitari quærat. Si autem Curatus fuerit inuitatus ad prandium amici, & fiant illi propinationes, an ipse possit eas acceptare, & alijs facere? Dic quod non, quotiescunque sunt cum coactione ad bibendum, quia ita canones prohibent, alias sine ita coactione, vt communiter fit in Italia, potest, & quis diceret esse peccatum; nam quæ per canones prohibentur, sunt quæ

cum coactione fiunt, ita intelligit Canones Silu. cler. 2. q. 5. Curatus tamen melius ageret, si factis propinationibus, beneuole responderet; gratias ago, vel profit, nullus autem ipse alijs faceret: ita enim saluator decor status; & beneuolentia non irritatur. Si in loco habeat clericos alios, cum ipsis sit liberior, quam cum laicis. Si ibi sint clerici vel etiam seculares parum beneuoli, expedit iteratis conuiujs modestis eos excipere, quia ita animi conciliantur. Hac eadem via multa obtinebit, quæ alias essent difficilia, obtentu. Noui Prælatum, qui concubinarios potentes amanter ad cõuiuia excipiebat, & post epulas ab eisdem promissionem eiiciendi concubinam requirebat, & hac via multa fœliciter illi cedebant.

9. Prudenter quærat beneuolentiam, & amorem subditorum, ut per eum validius possit in bonum illorum operari, quia & Christus Dominus benefaciendo, & sanando pertransibat, & plenus gratia, & sapientia proficiebat apud Deum, & homines. Et experientia teste, multum proficit Curatus amatus & populo, habet enim eum beneuolum, & attentum, & ut ita dicam, semper suatum. Iste tamen amor sit iuxta illud: Amice vsque ad aram; sit hac modificatione reformatus, ut malit milles mori, quam vel leuiter Deum semel offendere. Ideo in remedijs adhibendis tentando omnis via, qua honor, & subditi amor saluetur: & si vtrumque saluari non potest, saluetur amicitia Dei.

10. Porro hunc amorem conciliat: Primò <sup>leuiter</sup> vitæ exemplaris, & maximè charitas, & li-

& liberalitas etiam in donando, subleuando opere, & verbo indigentes, vt dicitur cap. seq. Et si nō potest donare, saltem commodando, quando tamen cum restituyente agendum sit; quia si commodaueris, non recepturus commodatum, vel ad id recuperandum sit necesse, vel libris implicari, vel amicum perdere, satius est non commodare.

11. Intellige tamen, quando commodandum sit extra necessitatem, quia ea urgente teneris etiam si certum sit, commodatum perditurum iri. Ideo habeas diligentem instructionem ingeniorum tuæ curæ, vt prudenter agas.

12. Secundò: Amorem conciliat conuersatio talis cum omnibus, quæ omne odium nō admittat, talis est. Non irasci intempestiuè contra accedentes ad se, sed amanter, & vultu hilari eos excipiendo. Patienter ferre imprudēter rogantes. Non esse importunum in repetenda ratione vitæ, & conscientia. Non vrgendo plusquam par sit ad mutationem morum & vitæ; multo minus ad electionem certi generis vitæ. Fugiendum omnem inutilem, ac odiosam morositatem. Abstinendo ab his, quæ animos hominum merito alienant, vt lites, contentiones, iniuriæ, negotia etiam ea quæ non nisi cum quadam acerbitate, ac seueritate peragi possunt. Negotia onerosa alijs prætermittat peragenda, & ipse mansuetius agat, & ideo talia vel sinat perfici ab Episcopo, vel saltem, nisi de expresso Episcopi mandato, exequatur, quando tamen nulla alia lege cogatur, etiam iniussus ipse exequi quod raro continget.



13. Tertiò. Amorem conciliat: Dissimulando ad tempus aliqua peccata, alia tolerando, alia corrigendo, nonnunquam cum remissione, prout prudentia consulat, ita ut omnia dicatur recte agere si rationabiliter egerit. Bona regula est: Si corrigendum sit aliquod peccatū publicum, si sit contradictio, & corrigenda sit res venialis, vel Curatus vel introducere rem indifferentem, sed ad bonum finem, cedat contradictioni. Si vero agitur de mortali tollendo, viriliter se exhibeat, nihil de contradictione curando.

14. Porro in correctionibus magna opus est prudentia, ita enim corrigas, ut non deicias intendere correctionem, & benevolentia conseruationem, quod prudentia bene præstare nouit. Replicatio vitij correcti, hoc fecisti, non debuisses facere, est inutile, & odiosum. Nominatio personæ in publica correctione est imprudentia. Praxis est semper potius declinare in lenitatem, quam in seueritatem, nisi aliter prudentia iudicet, quod est quando pro negotio gerendo asperiora sunt necessaria: Vitia priuata leniter, publica rigide, & cum vehementia corrigenda, maxime cum sunt inueterata, & cum scandalo: Audita in confessione si sint singularia, rarissime contingentia, non reprehendas, quia confessionem exosam redderes, si sunt ordinaria, possunt reprehendi.

15. Curatus sit prudenter mansuetus; nunc tacendo, nunc simulando non audisse, etiam sibi molesta: hac enim virtute verè corda hominum possidentur. At si contigerit ab aliquo durius,

drarius, vel etiam iniuriose excipi, cohibet primo iram, deinde appositis verbis se defendat. Verbi gratia: Curatus agit cum concubinario de eijcienda concubina concubinaris feruet, ait, non eijciam in tui contemptum quem te esse credis? Curatus rectè respondebit: Domine appello me ad te non iratum, quia scies me tibi amicum; aut dicat alia similia. Si vero concubinaris fuerit inueteratus, vel plebeius, poterit Curatus acrioribus verbis respondere, verbi gratia: nunquam patiar te talem vitam agere, & quousque non eieceris istam, non parcam officio meo.

16. Sed quia sumus mortales, & vasa lutea: facientia inuicem angustias, & impetus feruentis sanguinis ægrè reprimitur, multum erit è re, Curatum semper habere bonū conceptum eius cum quo agit, credendo eum virum nobilem, & si fuerit de plebe credendo minacem, & furibundum, aut hominem multorum conlanguineorum, qui in vindictam possint insurgere; aut imaginando aliquid aliud, quod aliqualem terrorem aspergat, vt tali timore feruor iræ tepescat, & ita Curatum, velit, nolit, in officio mansuetudinis contineat. Proderit etiam si Curatus habuerit hunc scopum, se nunquam velle videri iratum, nisi iuste, & tali modo, vt si de ira esset illi reddenda ratio; alacriter posset eam reddere. Quod si forte aliquem asperius exceperit, non vereatur blandis verbis eum demulcere, etiam petita venia excessus, quia hoc est præuenire in benedictionibus dulcedinis, nec reputet hoc indecorum, etiam si fuerit valde no-

bilis: quia, & hoc valde nobiliorem eum efficiet.

17. Curatus etiam sit prudenter ingeniosus, id est, habeat acutos quosdam modos, quibus sibi, & alijs profit, quales sunt plerumque in reconciliandis inimicis, pro quo vix potest dari certa regula, nisi quod, quo prudentior erit, erit etiam perspicacior, quia hic est effectus prudentiæ.

\* Verbi gratia: Aduocat me fœmina tabescens imaginatione apprehensa, & timore, eo quod inimica, cum qua rixata fuerat, dixerat illi, se velle accendere candelam sancto Antonio, vt liquecente candela, & hostis tabescendo deficeret. Vt causam morbi comperio, addo animum, spondeo me duas candelas pro illius incolumitate accensurum (intelligo pro celebratione, dum celebrare contigisset in altari S. Antonij) quid plura? ægra breui conualuit. Imaginationo enim faciebat casum, vt ait legista, & quia nouerit bene vti hac regula in similibus absque mendacio, videbit mira, vt vidi, & apertis accipi. Debet tamen prius, quantum possit, remouere eandem ab hac opinione, quod Sancti præbeant maleficio auxilium, ostendendo hac eorum sanctitati repugnare.

Conducit consideratio personæ, loci, temporis, & negotij, & dimittere etiam se ad caput eorum, cum quibus agimus, cum aliquid velis, & vi auctoritatis tuæ non possis obtinere, expedit precibus impetrare; errantes ipsos constituere tanquam voluntatis tuæ executores. v. g. sicut aliqui iuuenes in Ecclesia garrientes.

potest

potest vno maioris auctoritatis aduocato, constituere eum super garrientes, vt blandè eos compescat.

Ad hæc reducitur consideratio agendorum in cura. Pro quo nota, quod Curatus fructuose solitarie cogitabit, de modo bene regendi curam, ne ex abrupto cogatur determinationes facere. Et si consilium meum videtur vtile, vt credo necessarium (nam hoc est, vigilare super gregem) non transeat hebdomada, sine aliqua præmeditatione de ijsdem rebus.

18. Si alia virtus est Curato necessaria maxime est oratio. Pro quo aduertat Christum Dominum non elegisse Apostolos nisi præuia oratione integræ noctis. Debet ergo Curatus multis imperfectionibus circumdatus esse in ea multus, & pro suo, & pro suorum bono. Pro suorum bono, quia mediator est populi ad Deum, ideo, & communes, & priuatas necessitates Deo commendat; & si quid insolitum acciderit, etiam insolita oratione emendet. Curet iuuari plebis suæ precibus, ideo expedit pro necessitate imminente aduertendo hanc vel illam orationem populo proponere, qui facilius votum consequetur.

Pro bono vero suo, cum, quidquid potuerit, egerit, sciat tunc vix incepisse. Quis enim valeat populum, maximè multum regere, cum se ipsum regere sit rarum? Ideo, si recte iudico, impossibile est regimen animarum bene dirigere, sine hac particulari arte. Quare Curatus statuat secum, & ita exequatur, nullum diem pertransire sine imploratione auxiliij Diuini,  
spe-

specifice pro regimine animarum suarum: & quamuis occupationibus destineatur non omitat. Et vt facilius affuescat ad hoc, horam matutinam, vel antequam surgat, vel statim postquam surrexerit, huic rei tribuat. Curatus etiam, vt recte actiua contemplatiuis vniat, delectetur oratione vocali & mentali. Porro non angatur de modo orandi, sciat stando, sedendo ambulando, & quiescendo id recte peragi posse. Oratio tamen genibus flexis indicat maiorem deuotionem, & magis præbet honorem Deo debitum, sicuti & à Christo Domino fiebat: Quæ vero est cum situ corporis non afferente molestiam; potest interdum esse cum maiore attentione. Cum optima tamen oratione comparata modum examinandi conscientiam vespere, cum nempe, qui iam communiter scitur. Quin etiam Curatus illo utatur, & curret eum populo reddere familiarē, tum eum docet doctrinam Christianam, tum in Missa, dum sermonem habet.

19. Curatus sit prudenter diligens, & solere in obeundis sui officij functionibus in quo veniat diligentia decorem, & ideo semper & ubique eisdē utatur; nam hoc non repugnat quantuis modestæ festinationi. Ideo si celebrandū, vel aliud quidpiam agendum actionem nō præcipitet, ne morosus habeatur. Morositatem igitur, & præcipationem fugiat, & saluo decore festinet quantum expedit, alioquin eum magnis inconuenientia vexabit. Vidi calicem de iudicium in Missa post illius consecrationem fierent oruces mala festinatione: item ob eandem cau-

sam

sam multa Sacramenta male collata dum confere-  
rens sua festinatione, vel præcipatione vellet  
videri peritus. Poterit tamen Curatus (& credo  
fore melius) cauere à multis, quæ non sunt pec-  
catum, sed ad populi satisfactionem, puta ante-  
ferre aliorum satisfactionem propriæ deuotio-  
ni, v. g. ex deuotione cuperet cunctanter cele-  
brare, sed hoc agendo à suis negligitur; melius  
est decenter festinare, & populum Sacro assiste-  
re, & hoc maximè vbi non sit alia Missa, & inter  
rusticos, qui malunt perdere Sacrum, quam au-  
dire longum.

\* Et si Curatus velit appositè fugere morosi-  
tatem, quæ potest euenire in vtroque Memen-  
to in Missa, dum ibi commemorationem facit  
eorum, pro quibus orat; ponat ante Missam in  
animo omnes, pro quibus intelligit orare, dein-  
de in memento vnico contextu omnium com-  
memorationē faciat *Rub. Missalis à Clem. VIII.*  
*recogniti de ritibus obseruandis in Missa, cap. 8. n. 3.*  
Aduerrat etiam ad prolationem verborum; ac-  
commodet se alijs in prolatione secundum mo-  
dum loci, nisi impediatur à lingua aliter assue-  
ta, cum est aduena. Caueat etiam à prolatione  
sapiente singularitatem, puta Paracletus vox est  
græca, cui E est longum, significans aduocatum:  
si in loco communiter profertur breue, & tu fac  
breue, licet aliud & forte falsum significet; quia  
nullus est error, intelligente Deo sensum Eccle-  
siæ cui seruis, ita proferendo. Præterquam quod  
quare vnus grammaticus habebit tantā auctori-  
tatem, vt vnā litteram possit intendere vel re-  
mittere, & non possit tantundem vna regio?  
Idem.

Idem per omnia de similibus dicendum, quia melius est in similibus convenire cum omnibus, ubi nullum est peccatum, quam se singularem præbere. Intellego, dum non speras alios clericos loci non aptandos rectæ prolationi, quia tunc liceret.

20. Quoniam in actione sepe multa eveniunt, quæ non possunt certa deliberatione stabiliri, Curatus ita agat: Studeat si potest, & consulat peritos, & consulta exequatur. Si hoc non potest, (intellige tamen in rebus quæ pendent à prudentia) accipiat chartam, & atramentum, & in vno latere ponat omnes rationes facientes ad casum, in alio vero rationes contrarias, & omnibus collectis, consideret quæ numero, & ratione sint potiores; & si affirmatiuæ sint tales, opinionem affirmatiuam sequatur: Si negatiuæ, negatiuam sequatur, & vix errabit. Sed non utatur hoc remedio ad alia à dictis, ne facile ad superstitionem transeat.

---

A. V I C T O R E L L I

AD CAPVT XI. NOTÆ.

**I**N quacunq[ue] re agenda consideret Parochus; (si D. Bernardum, ad Eugenium, audire velit) an liceat, an deceat, an expediat id agere. Sapienter, prudenter, humiliter præesse studeat. Lente festinet. Oculatam manum gerat, nec temere quæcunq[ue] credat. Præteritorum memor, præsentia intueatur consideret, futuraq[ue] præcogitet. Perrinaciam,

& c.

& inconstantiam fugiat: illa superbiam, hæc leuitatem matrem agnoscit. Det operam sedulo; vt cupiat ex animo, pro Christo, & pro grege, mori. Diuinis hisce dictis morem gerat.

*Palpebra tua precedant gressus tuos. Prouer. 4.*

*Fili sine consilio nihil facias, & non te pœnitebit. Eccl. 32.*

Meminerit Parochus, se magistrum discipulorum, bella gerentium Imperatorem, Viatorum Ducem, Pastorem, Medicum, Iudicem esse animorum prætioso Christi sanguine redemptorum. Mente illa cogitet. [ Bonns pastor animam suam dat pro ouibus suis, qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Qui sibi nequam, cui bonus? ]

Caueat non solum, quod malum est; sed quod male coloratum, vt aiebat S. Bernardus *de Consid.* Sciat, Turpe esse, dicere, Non putaram.

In quacumque re, graui præsertim Deum orret, cum Sapiente: [ Da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciat, quid acceptum sit apud te. ] *Sap. 9.*

Dei honorem, & lucra animarum (non bona fugacia) quærat parochus: Christi sanguinem pro animarum salute profusum præ oculis habeat; Dei que præsentiam assidue cogitet. Meminerit, parochos sanctitate, scientia, prudentia, zelo animarum, fortitudine, vigilantia, patientia, comitate, diligentia instructos esse oportere. In eam curam toto animo incumbat, ne sese mortiferi sceleris labe inficiat, ne Diui-



num Sacrificium polluto animo per summum sacrilegium, offerat, neve Sacramentum indigne suscipiat, aut ministret.

In ijs, quæ ad se pertinent, forti animo ferat, contemni se, & maledictis proscindi: si contemptus diuino honori, saluti eius, aut creditarum ouium noceat, non ferat, sed sedato animo iusta remedia adhibeat, expleat munus suum, etiam si id viris improbis displiceat. Euangelica, & Apostolica Instituta carnalibus viris non placent. Horum vocibus aures elaudat, vt Christum audiat: mente reponat Apostoli dictum. [Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.]

8. Animi ducuntur amore, prudens sanctusque vir Franciscus Xauerius socijs iniunxit, vt, quoad fieri posset, imprimis efficerent, vt ab omnibus amarentur. Nullare magis, quam amore in partes omnes flecti, & impelli potest humanus animus. Displiceant illæ voces. Oderint, dum metuant.

Xauerius idem Paulo Goani olim Collegij Rectori, salubria dederat præcepta; quorum illud caput erat: (Goa discedens muneris illum sui Vicarium faciebat) vt Christianæ magis humilitatis, quam potestatis memor; paternum in partes omnes Imperium exerceret.

Vir idem sanctus eos animos Christiana comitate demulcebat; quos è vitiorum sentina eripere conabatur. Lenitis iam animis præ admonitionis Pharmacum adhibendum censebat; quamobrem in admonendi familiaritatem sese prius insinuabat. *Lege mirum exemplum lib. 3. cap. 15.*

13. [Dissimulatio ad tempus, &c. prudenti dissimulatione Xauerius mercatorem meretricijs illecebris delinitum, & captum sibi conciliauit: & opportune monitum in rectè viuendi viam induxit; subductis illi, paulatim, miro artificio, septem, quas domi alebat, pellicibus. Quorumdam animos a deo perditos, vt nec scelera sentirent, nec remedia ferrent, hac arte iuuit. *Comiter primò, vt consueuerat, vtar verbis Tursellini, lib. 2. cap. 17. in illorum se familiaritatem dare, in peccatis conuiuere, medendi voluntatem dissimulans: inde usu & comitate deuinctus animus, sensim ad inueterati morbi curationem sibi viam fecit, modo diuinis legibus propositis flagitia ostendens, modo intentatus varijs humanae vitæ casibus, Dei terrorem incutiens mentibus preparatis ad-mouet manum, auaritiam refecat, libidinis illecebras remouet, recrudescencia conscientia vulnera diuina misericordia oleo delinit sanatq̃.*

Vide etiam lib. 3. c. 15. vbi de prudenti, eaque vtilissima dissimulatione Xauerij. Hæc Tursellinus. *Plus dissimulatio ad corrigendum amicum valuit, quam obiurgatio valuisset.*

Scelestum militem, qui iam duodeuigesimū annum Sacra confessione abstinerat, socium nauigationis habere voluit Xauerius: comitate in eum vtrens maxima, etiam ludenti affidebat, omnibusque obsequijs demerebatur, vt illum ad confessionem induceret, ac in salutis semitam reuocaret. Quod accidit: Militem confessione peracta, semel Pater, & Aue orare Xauerius iussit, pollicitus; se, pro illo, rerum omnium Creatori satisfacturum. Aculeatis flagellis

lis nudatum tergum vir sanctus acriter verberavit.

Qua re ita mollitus, flexusque militis animus, ut, studium pœnitentiæ amplexus, antea vitæ sordes ipsemet voluntarijs pœnitentijs eluendas curaret. Scite de dissimulandis interdum vitijs, S. Gregorius 2. p. cap. 10. pastoralis. *Quadam vitia etiam aperte cognita, mature toleranda sunt: cum videlicet nondum opportunum tempus aduenit, ut aperte corrigantur.*

Ad prudentiam Parochi pœnitentiam confessionibus operam dantis illud etiam spectat, quod Sanchez monet lib. de matrim. dist. 38. his verbis: *Quando pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, ut confessarius credat illum tunc, æquo animo, minime recepturum, & alia vice melius suscepturum, excusaturq; ignorantia inuincibili, posse tunc latere, & in opportunius tempus differre; immò prudenter agunt confessarij, dum non omnia ad qua pœnitens tenetur simul, & prima vice aperiunt; ne deterritus omnino abstineat à confessione, sed paulatim debent eum docere ea, ad qua tenetur.*

Munus etiam Parochi est, auferre, aut impedire, si queat, scelerum occasiones. In hoc toto pectore incumbat; prudenter tamen, inter scelerum occasiones, impuræ comœdiæ, eas agere, & audire lethale crimen, ut multis placet, quam sententiam tuetur egregiè Comitol. lib. 5. q. 11. *Resp. mor.*

De prudentia, cæterisque in confessario requisitis, ad rite, & cum fructu, diuini ministerij munus obeundum, integrum tractatum edidit

dit Valerius Reginaldus Societ. IESV Theologus; qui à confessorijs maximo cum fructu legitur.

CAPVT XII.

DE OFFICIO CURATI EXTRA  
SACRAMENTA.

SYMMARIVM.

1. *An Curatus teneatur quærere peccatores degentes in sua cura.*
2. *Modus quærendi peccatores publicos.*
3. *Quamdiu duret inquisitio facta.*
4. *Peccator publicus quantum talis duret.*
5. *Quid aget Curatus cum persona scandalosa.*
6. *An tollenda meretrices.*
7. *Quid cum peregrinis venientibus in suam parochiam.*
8. *An corrigat Curatus peccata publica.*
9. *An facienti maius malum consulat minus.*
10. *Curatus an mala occulta impediatur.*
11. *Quid agendum cum stultis.*
12. *De licentia laborandi in festo.*
13. *Auctoritas dispensandi in labore in festo quo fundamento nitatur.*
14. *Curatus pro quanto tempore det licentiam laborandi in festo.*
15. *Causa laborandi in festo qua fiat.*
16. *Ad cognoscendum qua festa de consuetudine obligent.*
17. *An accipiendum aliquid pro licentia laborandi in festo.*
18. *An Curatus possit remittere poenam pro laborando in festo.*
19. *...*